

mittentes appellationes varias, definimus dolores post partum, quod sint tristis sensatio cum conatu ex utero egerendi difficili, à sanguine in & circa uterum stagnante, grumescente & acrimoniam variò modò contrabente, & facultatem expultricem stimulante, dependens. Ponimus tanquam genus, tristem sensationem, quæ est partium membranosarum tensio & vellicatio à variâ dependens causarum syndrome, quarum satis longus in subsequenti tradetur catalogus.

Cùm verò tristis sensatio omni competat dolori, addimus loco differentia specificæ *difficilem ex utero egerendi conatum*. Difficilis dicitur conatus, quatenus materia nimis rebellis fixior hæret circa uterum, natura verò eandem ejicere & molestantem relegare quærit, undè pugna invicem excitatur, naturaque victrici satis manu, hostem exturbat & propellit; Ut autem ejusmodi conatus difficilis aliis quoque competere uterinis affectibus, & præprimis partui difficili videtur similis, attamen sciendum, partum difficilem non ab alia provenire causa, quam positi fœtus inordinato & vitioso, quales positus memorat & æneis tabulis illustrat *Welschius* in *Hebammen-Buch* / & *Franc. Mauriceau* *der Schwangeren und Kreissenden allerbeste Hülfe* / qui non aliter nisi reductione ad statum magis naturalem corrigi potest; si verò fiat à causâ aliâ, rectè tamen se habente fœtu, non propriè partus difficilis, sed *dysonomia* naturalis partim à labefactatâ uteri facultate expultrice, partim à pelvis obstaculo oriunda, meritò dicenda. Dolores verò hi jam descripti non à fœtu, sed iisdem, quæ fœtum subsequuntur, speciatim lochiis moram nectentibus, dependent & incrementum sumunt.

## §. V.

*Subjctum principale* ipsum accusamus uterum. Qui cùm substantiâ gaudeat merè membranosâ & nervosâ, haud difficile est, ut à quocunque lædatur. Videmus enim etiam svaevolentibus lædi, uti de rosis refert *Langius Miscell. curios. p. 44.* quidni potiùs ab injuriâ tum externâ, tum internâ affici poterit? Laborat enim hîc uterus essentialiter, de cujus tamen substan-

stan-